

arguens nomen traxisse ab oppido *Laconum* . . . contributa eo *maritima colonia quae ibi fuerat*. Quod inde item apparet non tam Graecam rem publicam mutatam esse quam alteram Latinam ei adiunctam, id eo confirmatur quod significant Lucilius (apud Ciceronem de fin. 1, 3, 7) et Cicero (pro Arch. 3, 5 cf. Verr. 4, 60, 135) et ait Strabo 6, 4, 2 p. 254 in Italia praeter Regium et Neapolim Graecum mansisse unum Tarentum. Itaque ne eo quidem Tarentini ex Graecis Latini facti sunt, quod Pompeius post bellum piraticum agros ibi veteranis suis ita divisit, ut piratis proditoribus simul agros, deterrimos tamen adsignaret (Probus et Servius ad Vergilli georg. 4, 125); immo fortasse Graeci homines potissimum fuerunt, quos oppidum eo tempore cives accepit. Ad Augusti usque tempora Tarentum veterem splendorem aliquatenus retinuit; certe secessus Tarenti Ciceronis Horatiique aetate non minus in deliciis fuit quam Campanus (Cicero ad fam. 7, 12, 1; Horatius carm. 2, 6, 10. 3, 5, 56 ep. 1, 7, 45). Postea labi coepit magis magisque desertum factum; unde imperante Nerone a. p. C. 60 veterani Tarentum adscripti sunt (Tacitus ann. 14, 37). Sed dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant, ne ii quidem infrequentiae loci subvenerunt (Tacitus l. c.), ut Dio Chrysostomus (orat. 33 p. 404 M.) Tarentum inter urbes nominet olim florentes, nunc vacuas totas. Confirmant id epigrammata pauca omnino et exilia, ut ne de tribu quidem satis inde constet, quamquam ad Claudiam ducunt duo n. 250. 252, cum tertium n. 235 Galeriam habens extero homini positum esse videatur. Praeterea nominantur quidem decuriones n. 234, magistratuum autem in sinceris titulis nulla mentio est. Iustiniani aetate Tarentum dicitur ambitu magnum, sed moenibus destitutum (Procop. bell. Goth. 2, 23).

Tarentini lapides, qui sunt perpauci falsis remotis, primum inveniuntur apud auctorem saec. XV exeuntis scholae Pontianae, cuius est sylloge servata in libro MARVCELLIANO A. 79. 1 descripto in indice auctorum. — De Tarentinis apud PAGLIAM relatis a. 1564 dixi supra p. 2. — Qui sequitur Ioannes IUVENIS (de antiquitate et varia Tarentinorum fortuna libri VIII. Neapoli 1589. fol. pp. 226) quos affert titulos, genuini sunt, sed parum accurate excepti versibus non divis

234 [= 577] Tarenti IUV.; in atrio pontificis MET.; in atrio divi Cataldi BEMB.; in aedibus maioris ecclesiae PAGLIA.

F A V S T I N A e  
AVG  
M · AVRELI · CAES  
PVBLICE  
5 D · D

Metellus cod. Vat. 6039 f. 364d ex Sim. Vallamberto; Io. Bembus f. 100; Paglia cod. Vat. 5244 p. 616; Io. Iuvenis p. 24 (ex hoc Grut. 260, 8).

In vv. div. consentiunt exempla tria scripta. — 3 M · AVRELI Met., M · AVRELI Bemb., AVRELI Pagl., AVRELI IUV. — CAES Met., CAES Pagl., CA · F Bemb., CAR IUV. — 4 PVBL · I · C IUV., om. Pagl.

235 [= 578] Tarenti rep. nuper in fundamentis novae aediculae S. Cataldi in templo archiepiscopali PAC. (1685).

L · IVNIO · L · F · GAL  
MODERATO  
COLVMELLÆ  
TRIB · MIL · LEG · VI · FERRATAE

Servavit Pacichellius (1685) p. 363 (inde opinor Mur. ms. 18, 224, ed. 826, 5 a Pollidoro). Henzen 5598 ex ed. 1.

4 TRIB · MI . . . LEG · VI · FAERRATAE Poll. — Etsi epigraphia Tarentina vulnibus apertis et caecis laborat tota movetque suspicionem titulus qui scriptoris de re rustica nomina ostendat, tamen neque Pacichellii Tarentina suspecta sunt et hunc titulum egregie tuetur C. L. Grotefend *Ztschr. für Alterthumswiss.* 1835 p. 179. Columellam enim natione Hispanum fuisse et commoratum esse in Syria, quod utrumque aliunde constat, convenit cum tribu Galeria tituli nostri Hispanorum propria, et cum tribu natu legionis VI ferratae consistentis in Syria. Talia homo imperitus Pacichellius fingere non potuit; Pollidorus vero a Pacichellio sumpsit.

nec locis proprie indicatis. — Hunc excepit Io. Bapt. PACICHELLI, a quo editi Tarentini (*memorie de' viaggi per l' Europa cristiana* Neapoli 1685 tom. 4 part. 1 p. 363—365) ita comparati sunt, ut qui redeant apud Iuvenem inde descripti sint locis tantum adscriptis de visu. Pacichellii autem sunt Tarentini omnes, quos auctore Tafurio Muratorius refert. — Petrus POLLIDORVS audiendis causis praefectus apud Hannibalem Albanum cardinalem Tarentina misit Muratorio complura, quorum prior pars in scriniis Muratorianis extat 13, 224 (accedente titulo uno 17, 204) auctoribus laudatis ibi cum Pollidoro tum Como, posterior in iisdem scriniis 19, 227 petita 'ex schedis Merodiani', id est Hieronymi nescio cuius Merodii scriptoris historiarum Tarentinarum saec. XVII incipientis, quem Ambrosium Merodium nuncupat Tafurius Calogera 11 p. 14 locum ex historia eius Tarenti ms. afferens servata apud se. Redeunt autem omnia haec opinor ad eundem, sive Tafurius is fuit sive Pollidorus, tam quibus Merodius auctor adscribitur quam quae referuntur sub nomine Pollidori vel Comi; hic enim ut solebat Muratorio transmisit ab aliis accepta. Ipsi tituli ita comparati sunt, ut plerique nullo auctore defendi queant: certe genuinos neque ex libris editis petitos (id quod cadit in Pacichellianos n. 235. 250. 251) in Tarentinis his non repperi nisi n. 240. 249; eos enim iam non dubito sinceros esse. Graeci quoque a me omissi Mur. 125, 5. 468, 3. 1084, 3 malae notae sunt. — Pollidorianas fraudes arripuit auxitque PRATILLIVS, auctorem, ut solet mentiri sub nomine alieno, in Tarentinis citans (p. 496) Iohannem Angelum Ciocchium vicarium generalem ecclesiae metropolitanae Tarentinae. — Posteriores auctores, Cataldus Antonius Atenisius CARDVCCI (*Tommaso Nicolò d' Aquino delle delizie tarantine libri IV con versione e commento.* Neapoli 1771. 4. pp. 552) et Iohannes DE VICENTINI (*storia di Taranto di Merodio ed altri autori.* Tarenti 1865. 8) titulos a prioribus relatos compilarunt, ipsi nullum addiderunt. Ego Tarentum adii a. 1845, sed ne unum quidem scriptum lapidem ibi indagare potui. Nissenus, qui ibidem fuit nuper, frustula quaedam vidit titulorum Latinorum, nullum autem quod describeretur. Nuperrime Kekulé ibidem moratus pauca quaedam repperit, sed vulgaria et exilia omnia.

236 tabella marmorea fracta Tarenti in museo Ceci-Palumbo.

d · m  
TITC  
ARGENTARI  
ALLIA  
5 C · B · M · F

Kekulé descripsit a. 1874.

237 [= 580] Tarenti.

D · M · S  
T · CALPVRNIVS · CRATISTVS  
V · A · VI · D · XXXX  
H · S · E

Io. Iuvenis p. 24 (inde Grut. 905, 2).

Versuum divisio incerta.

238 [= 579] Tarenti.

CALPVRNIA · CRATISTA  
V · A · L · H · S · E

Io. Iuvenis p. 24 (inde Grut. 905, 3).

Versuum divisio incerta.

239 arca Tarenti in monasterio S. Antonii.

CN NEARCHVS NEPOS  
FABIANVS D S P

Descripsi ad ectypum a Kekuleio factum; lectio mihi certa visa est, potestque ferri nomen gentilicium quod est Nearchus.